

*Quem diligit, Dominus castigat.*

Léctio Epístolæ ad Hebræos

12, 5-7. 11-13

**F**ratres:

- <sup>5</sup> **O**blíti estis exhortatiónis,  
quæ vobis tamquam filiis lóquitur:  
«Fili mi, noli negligere disciplínam Dómini  
neque deficias, dum ab eo argúeris:  
<sup>6</sup> quem enim díligit, Dóminus castígat,  
flagéllat autem omnem filium, quem récipit».  
<sup>7</sup> Ad disciplínam suffértis;  
tamquam filios vos tractat Deus.  
Quis enim filius, quem non córripit pater?

[8-10]

- <sup>11</sup> Omnis autem disciplína  
in præsentí quidem vidétur  
non esse gáudii sed mæróris;  
póstea autem fructum pacíficum exercitátis  
per eam reddit iustítiæ.  
<sup>12</sup> Propter quod remíssas manus et solúta génuá erígite  
<sup>13</sup> et gressus rectos fácite pédibus vestris,  
ut, quod claudum est, non extorqueátur,  
magis autem sanétur.

Verbum Dómini.